



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

V. De actione & reactione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

57 Quantis premimur propter hanc partium infinitudinem defendendam. Neque fateri pudet hoc argumento premi, propriis enim viribus, & propriis debellor armis; hæc enim nullus hucusque dissoluit, neque mouit. Respondeo, omnem intensiorem illius partis in qua ab initio actionis, continuè producitur consummatam esse antiquam qualitatē extensio incrementum aliquid recipiat, ac proinde in mensura, in qua qualitas de nouo extenditur nihil produci in illa parte subiecti, in qua intensio est continua, & in illis mensuris proportionalibus, in quibus fuit continua intensio, tantum fuisse in singulis productam proportionalem intensiorem. Neque refert agens postea intensiorem aliquotam producere in mensura proportionali in partibus distantioribus subiecti, quia cum in primo instanti applicationis qualitatem valde intensam produxerit in parte propinqua, quam in secundo tenetur conseruare, non potest in eodem secundo aliam partem aliquotam de nouo producere, in reliquis verò partibus distantioribus, cum remissiore qualitate agens primo produxerit, postea potest intensiorem aliquotam in mensura proportionali producere.

58 Hæc sunt, quæ pro solutione præcedentis argumenti ex proprio penore alieno destitutus ministrare valeo, quæ si tibi omnino non placeant, posteriorem partē conclusionis non defendendam suscipias, sed dicito produci semper intensiorem aliquotam in parte subiecti in qua denuò extenditur qualitas, non verò in anterioribus. Ad illud quod adducitur agens in quacumque mensura intensiorem effectum producere in parte proximiori, quam in distantiori. Responde hoc verum esse, si computetur productio, & conseruatio partis anterioris cum productione posterioris, non verò si primæ productiones factæ in illa mensura solum conseruantur, quia hoc nulla ostendit experientia, neque ratio aliqua conuincere valebit, imò poterit optima negatæ partis adduci, quam ex doctrina tradita paucis accipe.

59 Agens in mensura præcedenti extensorem produxit qualitatem in partibus anterioribus, quam tenetur conseruare, dum per productionem nouæ partis qualitatis illam extendit: deinde per se loquendo eadem virtus requiritur ad producendum, quam ad conseruandum: ergo maiorem qualitatem producere valebit in parte subiecti, in qua nullam prius productam conseruare tenetur quam in alia, in qua non solum ad nouæ qualitatis productionem, sed ad antiquæ conseruationem debet attendere. Neque maior approximatō sufficit, vt antiquam qualitatem conseruet in parte anteriori, & æqualem aliam producat cum producenda in posteriori minus approximatā, satis enim approximationi datur, cum propter illam semper maior intensio in parte proximiori, quam in distantiori reperitur, etsi non in quacumque mensura, maior semper qualitas primo producat in parte proximiori, quam in distantiori.

PUNCTUM V.

De actione, & reactione.

§. I.

Difficultatis status.

1 Omne agens agendo repati Philosophi omnes vno ore pronuntiant, explicandum est quid reactio, quid verò repassio dicatur: *Reactio est actio proueniens ab agente, quod patitur à subiecto, in quod agit contrariam qualitatem illi, quam producit, in minori tamen intensione.* Repassio est passio agentis in subiectum, à quo patitur contrariam qualitatem in maiori intensione. Vno verbo. Mutua actio, actio & reactio dicitur; fortior dicitur actio, & remissior reactio. Et passio mutua (intelligit semper iuxta qualitates contrariè oppositas) passio, & repassio nominatur intensior passio, passio simpliciter dicitur, remissior verò repassio nominatur. Vnde agere, & reagere, pati & repati est mutuo agere, & mutuo pati secundum qualitates contrarias.

2 Dari reactionem inter agentia contraria tota tenet Philosophorum schola, quod tradunt Conimbr. de genere, q. 3. art. 3. referentes pro hac sententia D. Thom. Themisium Heruzum, & alios ex antiquis. Hanc conclusionem frequens demonstrat experientia, qua videmus, quod si cor-

pus calidum frigido applicetur, calidum aliquid amittere caloris, & acquirere frigiditatis, & frigidum aliquid caloris acquirere, & frigiditatis amittere. Idem ratio à priori manifestè probat. Corpus calidum habet virtutem agendi in frigidum: ergo etiā patitur ab illo agere in illud. Probo consequentiam. Passio in agente non est impeditum ad agendum in aliud subiectum, quia etsi corpus calidum per passionem frigiditatis aliquid caloris amittat, reliqui gradus manent cum virtute ad agendum; ergo poterit calorem producere in alio agere frigido, quod ex nullo capite est impeditum ad recipiendum calorem, actio enim ab illo dimanans intrinsecè in alio recepta impeditum non est ad hoc, vt ipsum passionem in se sustineat. Idem argumentum fieri potest de frigido respectu calidi.

Dubitari potest, an omne agens in agendo repatiatur. Multus est Arriag. disp. 3. sect. 12. vt probet non omne agens in agendo repati neque repassio esse de ratione agentis, & refert nescio quos suppressione nomine oppositis assertores, incognito tamen hoste pugnat Arriag. Communis sententia affirmat repassioem non esse de ratione agentis, vt patet in agente productiuo qualitatis contrario carentis. Ita docet Conimbr. supra art. 4. ex Arist. 7. Physic. c. 5. text. 35. quod probo à priori. Passio, quā ignis patitur, nullo modo potest illum iuuare ad agendum: ergo de ratione ignis vt agentis non est repassio seu reactio subiecti circa quod agit. Secundo, si calidum, & frigidum applicaretur, & Deus non concurreret cum frigido ad productionem frigiditatis, calidum naturaliter ageret in frigidum: ergo actio ex se non petit reactionem contrarij, neque connexionem habet cum repassioe agentis. Tertiò, si applicentur calidum & frigidum vtrumque valde extensum, poterit totum frigidum esse intra spherā actiuitatis calidi, & calidum non esse secundum se totum intra spheram actiuitatis frigidi, quia frigidum minorem habet actiuitatis spheram, vel quia calidum est magis extensum: tunc pars vltima calidi ageret in frigidum, & non repatiatur: ergo potest dari actio sine reactione.

Vltimò si agens calidum applicetur frigido habenti minimum requisitum ad operandum non potest aliquid pati ab illo: ergo potest dari actio sine reactione, aut repassioe. Probo antecedens. Calidum, vel agit in frigidum, vel non agit: si non agit, dabitur actio frigidi sine reactione calidi. Si agit corrumpit aliquid frigiditatis: ergo frigiditas remanens nihil potest agere, quia iam est minor minima requisita ad operandum, antea enim erat minima requisita ad operationem: ergo datur actio calidi sine reactione frigidi: ergo datur actio sine vlla reactione, aut repassioe.

§. II.

Nonnulla expenduntur argumenta.

Obiicies primò: Agens calidum, & frigidum mutuo applicata, vel sunt virtutis æqualis, vel inæqualis: si sunt æqualia virtute neutrum agere, si alterum aliud superat, agens tantum excedens in aliud poterit agere: ergo nunquam potest dari actio & reactio. Respondeo in vtroque casu vtrumque agens posse agere in aliud, dicam enim Controu. 6. Punct. 3. frigidum minus fortè posse agere in calidum fortius, & in alio subiecto calido fortiori resistente, quia minori effectū producendo ab agente remissiori compensatur maior virtus fortioris agentis, facilius enim frigidum vt quatuor producit gradum vnum frigiditatis adhuc resistente calido, vt octo, quam calidum vt octo conseruat, vel producit septem gradus caloris contrarietentiam frigidi vt quatuor.

Obiicies secundo: Si potest dari mutua actio, & reactio, idem passum fore mouendum motibus contrariis, quia si ignis amittens octauum gradum caloris producit alium in aqua in eodem instanti, in quo frigiditatem recipit, poterit eundem in se producere, quia non maior virtus requiritur ad producendum calorem in se ipso, quam in alio: ergo in eodem instanti, in quo recipit frigiditatem, ab agente extrinsecò poterit in se ipso calorem producere. Dices in illo instanti non posse producere calorem, quia non potest expellere frigiditatem in illo instanti productam, nil enim potest produci, & expelli in eadem mensura. Contra tamen: ergo saltem in mensura sequenti poterit calorem in antecedenti amissum recuperare, & impedire productionem secundi gradus, vel potuit in prima mensura impedire productionem primi gradus frigiditatis, & vires impendere in conseruatione octauj gradus caloris in se ipso, quas

quas adhibuit ad producendum primum gradum caloris in alio subiecto.

7 Melius responde ignem non posse producere calorem in se ipso in instanti, in quo recipit frigiditatem ab alio, quod constat à posteriori, quia si posset in praesentia contrarij nouum gradum caloris producere, posset illum conseruare, quem amisit per introductionem frigiditatis, vel saltem in secundo instanti expellere primum gradum frigiditatis productum in primo, ita ut nunquam duplex gradus caloris remitteretur, cum verò non possit gradum conseruare, nec iam corruptum statim recuperare contrario praesente, signum est non posse alium producere. Rationem à priori huius conclusionis sic ostendo. Ignis in praesentia contrarij quando amittit octauum gradum caloris conseruat septem alios superfluit, & occupatus in conseruatione horum apud se ipsum non potest alium in se producere: in subiecto verò, in quo primum producit, nullum conseruat, quando verò secundum introducit, licet primum conseruet tamen minus in subiecto extraneo conseruat, quam in se ipso, quapropter potest magis de nouo producere. Ex his solutio patet ad cōfirmationem argumenti, dico enim non requiri maiorem virtutem per se loquendo ad producendum in alio subiecto, quam in se ipso, aliquando verò requiri maiorem virtutem ratione graduum productorum in se ipso, & non in alio, vel ratione virtutis iam exercitae circa se ipsum, & non circa aliud. Nec ex eo quod maior virtus requiratur ad conseruandum quatuor gradus, & vnum producendum in se ipso, quam ad producendum vnum in alio, inferitur absolute maiorem virtutem requiri ad producendum in se ipso quam in alio respectu eiusdem effectus, quia conseruatio quatuor graduum, & productio vnius respiciunt pro effectu quinque gradus caloris, productio verò vnius tantum respicit pro effectu vnicum gradum.

8 Obiicies tertio: Agens calidum applicatum subiecto frigido extenso producit prius, v.g. in primo instanti calorem in partibus propinquis, & postea in distantibus eiusdem, vel saltem maiorem intensiōem in propinquis, quam in distantibus: ergo partes distantes, quae in secundo instanti agunt in praecipuum contrarium agens, poterunt agere in partes sibi unitas proximiores agenti, & illis restituere intensiōem deperditam in instanti praecedenti. Probo consequentiam. Non maior virtus requiritur ad agendum in agens praecipuum non unitum, ac in partes propinquas sibi unitas: sed partes distantes agunt in agens praecipuum: ergo poterunt agere in partes eiusdem passi sibi unitas.

9 Hoc argumento vtuntur confutantes subordinationem graduum, quod tamen in sua opinione putant solui posse, iuxta quam dicunt partē passi non posse producere in parte immediata gradum caloris, quem potest in passu distanti, quia in hoc producendus est primus, vel secundus gradus, in parte verò immediata, si aliquis producendus esset debebat esse sextus, Vel septimus, qui longe perfectiores sunt secundo, vel tertio, ac proinde produci non possunt à parte producente imperfectiores alios. Admitto solutionem iuxta hanc opinionem, quae nonnullam adhuc habet difficultatem, quia maior illa perfectio effectus producenti in parte proxima compensari poterat maiori approximatione subiecti, nego tamen hoc argumento probari subordinationem graduum, sine hac enim claram, & adaequatam argumenti solutionem adhibeo.

10 Nego consequentiam, & rationem reddo cur partes distantes passi non possint agere in partes eiusdem passi sibi unitas, & possint agere in agens non unitum, & magis distans. Ad hoc ut calidum agat in aliud necessum est, ut habeat tantum excessum calorem determinatum respectu illius, in partibus verò passi unitis nulla datur, quae habeat tantum excessum respectu partis sibi immediatae, quantus requiritur, ut agens agat in passum ac proinde nulla potest agere in aliam: agens enim calidum hac proportionē calefacit subiectum frigidum, pono hoc fuisse frigidum vt octo, in prima parte producit calorem vt tria, in secunda vt duo, in tertia vt vnum, & nil in quarta. Quarta pars frigidi non potest agere in tertiam, quia tantum illam superat vnico gradu frigiditatis, quem tantum amisit, neque tertia in secundam, neque secunda in primam propter eandem rationem. Eadem tamen partes possint agere in contrarium agens, quod superant frigiditate determinata, & requisita ad agendum, licet enim, per se loquendo non requiratur maior virtus ad agendum in agens contrarium, quam in partem unitam eiusdem subiecti, tamen hic, & nunc par-

Franc. de Cuijeda, Philosoph. tom. I.

tes passi possunt agere propter rationem dictam in agens contrarium, non verò inter se ipsas remotiores in propinquiores agenti.

Obiicies quarto: Calidum vt octo producit calorem in passu frigido in primo instanti applicationis secundum omnes gradus caloris; ergo in illo instanti, in quo agit non reparitur, quia in instanti in quo omnes octo gradus concurrunt ad actionem nullus eorum potest expelli, aliis aliquis eorum produceret in instanti in quo expellitur, & consequenter in instanti in quo non est. Eodem modo potest argui in aliis instantibus. Respondet Arriaga ignem in aliquibus instantibus agere, in aliis verò cessare ab actione, in quibus reparitur ab agente. Datis morulis in alteratione, nescio quo fundamento hanc correspondentiam inter actionem, & passionem constituat Arriaga, quā veluti Mallei Virtuarius agens & passum moueantur. Melius respondeo, Calidum in primo applicationis instanti amittere gradum caloris, secundum quem non agit, ac proinde nunquam agere in frigidum, à quo possit provenire reactio secundum octauum gradum, quia actus gradus caloris amittitur in primo instanti applicationis, ac proinde nunquam applicatur calidum vt octo, sed calidum, quod immediate antea fuerat vt octo. Idem dico de secundo instanti, in quo expellitur septimus gradus caloris, & actio tantum provenit à sex aliis remanentibus. Dixi subiectum in primo instanti applicationis amittere octauum gradum caloris, quod multi negant, & probabo postea §. 4. quod si non ita fieret, adhuc integra manebat solutio pro secundo instanti, & pro primo nulla esset necessaria, cum in illo non daretur actio, & reactio.

§. III.

Argumentum aliud proponitur, & soluitur.

Obiicies quintò. Si duo agentia contraria aere intermedio applicentur, tunc non poterit dari actio, & reactio, quia si hac daretur, aer reciperet calorem ab igne, & frigiditatem ab aqua: ergo duplici motu contrario moueretur, quod fieri nequit. Negant aliqui propter hoc argumentum actionem, & reactionem inter agentia non immediata, sed immerito leui succumbunt oneri, quia posito aere inter ignem, & aquam aer, vel patitur ab igne, vel ab aqua, vel ab utroque, vel à neutro: si ab igne, medio illo poterit ignis agere in aquam: si ab aqua medio eodem poterit aqua agere in ignem: si ab utroque eodem medio ignis agat in aquam, & aqua in ignem: si à neutro ideo erit, quia ignis reperit in aere totum calorem, quem potest producere praesente aqua, & aqua totam frigiditatem, quam valet efficere igne resistente, si enim alteri agenti aer esset omnino dissimulatus in illum ageret: ergo ignis poterit agere in aquam medio calore reperto in aere, & aqua in ignem media frigiditate, quam in aere reperit. Dices alterum tantum agens: verbi gratia, ignem agere in aërem, & medio illo in aquam, aquam tamen non agere in aërem, ac proinde neque in ignem: unde etiam datur actio ignis in aquam, non datur reactio aquae in ignem. Solutionem retundo. Ignis per se agat in aërem immediatum: ergo aer est dissimulatus igni: ergo poterit reagere in ignem: ergo non impedit reactionem aquae, potius ipsam aquam iuuabit, ut simul cum illo reagat in ignem: ergo quocunque mediante passu poterit dari actio, & reactio.

Affirmant aliqui aquam acturam in dimidiam partem aeris, & ignem in dimidiam aliam. Accommoda solutio pacis amico, non Philosopho, quam facile recitio. Ignis habet virtutem ad agendum in aquam distantem: ergo in totum aërem intermedium, si illi qualitate est dissimulatus: ergo agat in totum aërem. Dices impediri ab aqua ne agat in dimidiam partem aeris. Contra sic argumentor, aqua similiter habet virtutem ad agendum in totum aërem intermedium: ergo impedit virtutem ignis, si fortior sit illo, non solum in dimidia parte aeris, sed etiam in toto aere. Farcior aliquando ita posse attemperari virtutes agentium ut aëra distantia, ut quodlibet valeat impedire virtutem alterius in dimidia parte subiecti, vel alterum in tertia, & non ultra hoc autem semper contingere fundamento caret.

Respondet quidam Complutensis Thomista aërem mouendum esse duplici motu contrario in gradu remisso, neutro tamen summe intenso, quod absque inconuenienti fieri potest, sicut enim aer in eodem tempore habet quinque

Qq 2 gradus

gradus caloris, & tres frigiditatis, sic in eodem instanti potest illos recipere, & duplici motu contrario moveri. Apud solutionem, si aer intermedius omni qualitate nudus supponeretur, illa enim recte explicaretur quomodo in primo instanti applicationis medio eodem aere ignis posset agere in aquam, & aqua in ignem; si verò aer intermedius supponatur iam admixtus calore, & frigiditate quomodocumque attemperatis, vel aliqua harum qualitatum usque ad octauum gradum informatus, aptior alia excogitanda est, cum verò aer interiacens nunquam supponatur omni qualitate destitutus, nunquam prædicta solutio locum opportunum inuenire potest; quod si ita applicaretur cum in primo instanti calorem, & frigiditatem usque ad octauum gradum reciperet, in secundo supponeretur cum his qualitatibus, ac proinde prædicta solutio instantanea duratione functa, in hoc secundo instanti subsistere non posset.

15 Aerem iam informatum contrariis qualitatibus: v. g. quinque gradibus frigiditatis, tribusque caloris non posse in eodem instanti moveri duplici motu contrario quantumvis remisso sic probatur. Non potest ignis gradum quemdam caloris producere, & corrumpere alium frigiditatis, & aqua in eadem mensura indivisibili producere gradum frigiditatis, & caloris corrumpere; ergo non potest in eodem instanti moveri subiectum duplici motu contrario. Antecedens probatur: non potest idem subiectum in eodem instanti amittere quemdam gradum caloris, & novum alium eiusdem speciei recipere, simulque gradum quemdam frigiditatis deperdere, aliumque eiusdem rationis acquirere, quod naturæ lumine dissonum cuique cordato, etiam non Philosopho apparebit; cum enim factis his productionibus, & corruptionibus eiusdem speciei subiectum cum eadem intensione qualitatis permanere, ac antea, superfluum, & absque ulla ratione fingitur.

16 Fortis à priori huius solutionis impugnatio facile redditur. Aqua in hoc instanti non valet conservare quintum gradum frigiditatis in aere ab igne corruptum. Ergo non valet alium producere in eodem subiecto, eadem enim virtus requiritur ad conservandum, & ad producendum effectum eiusdem rationis; ergo aqua non valet frigiditatem producere in aere in illa mensura, in qua non valet frigiditatem iam productam conservare: ergo non potest movere subiectum productione novæ frigiditatis, dum illud movet ignis productione caloris, & frigiditatis expulsiōne; ergo non potest idem subiectum simul moveri à duplici contrario motu, quantumvis remisso. Idem argumentum alio modo accipe. Agens frigidum in hoc instanti valet novum gradum frigiditatis producere, ut contrarij supponunt, & corrumpere gradum caloris; ergo valebat conservare gradum antiquum frigiditatis, & impedire productionem gradus caloris corruptentis illum; ergo prius productum conservabit, & impediet productionem contrarij, quam novum producat destruentem contrarium iam productum, quia magis determinatum est quodlibet agens ad conservandum, quam ad producendum, per se enim eadem ad utrumque requiritur virtus, & conservatio exigitur ab effectu producti, & productio nequit peti ab effectu producendo. Eadem argumenta eodem modo fieri possunt de agente calido.

17 Respondeo aerem intermedium movendum esse unico tantum motu ab illo agente, quod attendita resistentia contrarij, & qualitate producta in aere eiusdem rationis cum illa quam intendebat producere, intentionem aliam producere valebit. Rem tene: si aer esset calidus ut quatuor, & frigidus ut quatuor, & applicarentur calida, & frigida intensio ut octo, calidum ageret in talem aerem, quia est magis actuum, & maiorem effectum producere & conservare valet in passo. Si verò aer esset calidus, ut septem, & frigidus ut unum, & applicarentur agentia calida & frigida ut octo, frigidum ageret in aerem, quia licet absolute fortius sit calidum ut octo, nihilominus facilius producit frigidum secundum gradum frigiditatis, quam calidum seipsum caloris conservat, si verò aer sit calidus ut quinque, & frigidus ut tria, & agentia calida ut octo applicentur, neutrum ager in aerem intermedium, quia frigidum ex se minus actuum minori effectu conservando intentum vinci nequit à calido maiori effectu conservando occupato, neque è contra.

18 Neque ex eo quod agens neutrum agat in aerem intermedium, actio, & reactio illorum impeditur, quia aer quia ratione calidus est tenebit se ex parte ignis, & ager in frigidum, & quia ratione frigidus est, tenebit se ex parte aquæ, & ager in ignem, & ita cum igne integrum agens constituet, & poterit simul cum illo agere in aquam, etiam in ipsum ignis nil agat, quia partialis agens non debet agere in aliud compartiale passo propinquius, ut agat in aliud. Eodem modo continget in aqua, cum qua aer quia ratione frigidus habebit se per modum partialis agentis, & cum illa totale constituet agens in ignem.

Obiicies. Idem aer non potest complere duo principia inter se contraria; ergo non potest tenere se ex parte ignis ad agendum in aqua, & ex parte aquæ ad agendum in ignem. Respondeo distinguendo antecedens. Idem aer non potest constituere principia inter se contraria, secundum eandem qualitatem concedo, secundum diversas nego, quia calor existens in aqua est productivus caloris, & frigiditas eandem informans, frigiditatem producere potest, neque propter commune qualitatum subiectum virtus minuitur aut impeditur.

S. IV.

Difficultas incidens.

Dubitant nonnulli, an in primo instanti applicationis agentis ad passum detur actio, & reactio, quibus affirmatiue respondeo, quia eadem est virtus ad agendum in primo instanti applicationis, ac in secundo, & agens non agit in instanti B, ex eo quod fuerit applicatum in instanti A, sed ex eo quod applicatum est in eodem instanti B, neque ulla est ratio quæ oppositam sententiam suadeat.

Authores asserentes agens nihil producere in primo instanti applicationis sic arguunt. Ponamus calidum ut octo applicari in instanti A calido ut quatuor, & frigidum ut quatuor. Tunc agens calidum ut octo nullum gradum frigiditatis poterit in illo instanti corrumpere; ergo nullum poterit caloris producere; tenet consequentia, quia ad hoc ut producat gradus caloris necesse est gradum frigiditatis corrumpere; antecedens probatur. In illo instanti applicatur subiectum frigidum ut quatuor: ergo supponuntur quatuor gradus frigiditatis; ergo in illo instanti nullus eorum poterit corrumpi, quia gradus qui in illo instanti corrumpetur non esset in illo instanti, ac proinde sequeretur in eodem instanti esse calorem ut quatuor, & non esse calorem ut quatuor in eodem subiecto.

Egregia equivoçatio, quæ plures alias acutos recentes fecerit: fallaciam detego. Aliud est agens calidum corrumpere aliquid frigiditatis subiecti in illo instanti, in quo applicatur, aliud corrumpere in eodem instanti aliquid gradum ex his, quos habet in illo instanti, in quo applicatur: hoc posterius manifestè repugnat propter rationem dictam: non illud prius quod iam explico. Demus hoc agens calidum ut octo applicari passo in instanti B. Inquiri quot gradus frigiditatis habuerit passum in instanti A, præcedenti ipsam applicationem? Supponamus habuisse quatuor frigiditatis & quatuor caloris. Tunc agens in instanti B, quo primo applicatur producit quintum caloris, & expellet quartum frigiditatis, ac proinde non applicabitur calidum ut quatuor, & frigidum ut quatuor, sed calidum ut quinque, & frigidum ut tria. Si autem in instanti applicationis sit passum calidum ut quatuor, & frigidum ut quatuor signum est in instanti præcedenti applicationem fuisse, saltem frigidum ut quinque, & calidum ut tria, & agens calidum produxisse quartum gradum caloris, & expulisse primum frigiditatis. Hoc modo intelligere debes actionem in primo instanti applicationis, quo absque ulla inconuenienti actio in primo instanti applicationis, & eodem reactio potest intelligi. Ex quo inferes agens nullum corrumpere gradum, ex his quos habet subiectum in instanti applicationis, sed ex his, quos habuit immediate antea. Similiter inferes nunquam applicari calidum ut octo passo frigidum potenti reagere in calidum, quia si immediate ante ipsam applicationem fuerit calidum ut octo, cum aliquid caloris amittat in primo instanti applicationis, iam non est calidum ut octo, sed ut septem.

Obiicies. Agens applicatum passo habenti in primo instanti applicationis quatuor gradus frigiditatis nunquam fuit applicatum quinto frigiditatis gradui; ergo non potest illum corrumpere; antecedens facile probatur, quia in primo instanti, quo applicatur subiectum gradus quintus non est; ergo non potest agens illi esse applicatum. In instanti præcedenti agens non erat applicatum subiecto habenti quintum

quintum gradum, ergo neque ipsi gradui: consequentia probatur, quia agens nihil potest corrumpere, quod illi non fuerit applicatum. Respondeo concessio primo antecedenti, negando consequentiam, & confirmationem illius: falsum enim est agens debere applicari effectui, quem corrumpit, quia possunt agens & effectus corruptus nunquam simul existere, si effectus corrumpatur in primo instanti, quo producit agens; ergo tunc nunquam erunt applicata. Secundo proba à priori hanc applicationem non requiri. Applicatio debet esse inter agens, & passum, & do requiri inter agens, & effectum: gradus frigiditatis corruptus non est effectus agens corrumpentis illum, caloremque producentis, hoc enim respicit tanquam effectum primarium calorem productum, & tanquam secundarium priuationem frigiditatis: ergo etiam si effectus deberet esse applicatus agenti, negatio frigiditatis, & non ipsa frigiditas deberet agenti calido applicari.

Obiicies secundò. Agens calidum in primo instanti, quo applicatur passio, producit quantum gradum caloris, & corrumpit quantum frigiditatis: ergo quintus gradus frigiditatis corruptus nunquam resistit propriæ corruptioni, neque introductioni quarti gradus caloris. Consequentiam probabis. Gradus frigiditatis non resistit in instanti, in quo corrumpitur, quia in illo non est, non in instanti antecedenti, quia in illo nondum erat applicatum contrarium: ergo nunquam resistit. Respondeo gradum frigiditatis corruptum nunquam efficaciter resistisse, quia gradus contrarius caloris, & agens illum producens ab illo victoriam reportarunt, resistisse tamen ineffaciter, non in instanti in quo corrumpitur propter rationem dictam, sed in instanti præcedenti ipsam applicationem, in quo potuit esse resistentia, etiam si contrarium non esset applicatum, sed tantum esset applicandum in instanti sequenti, quod probabo agens de resistentia formali Contruerf. 6. Punct. 2.

Tertiò, alij frigidius obiiciunt. Agenti non datur in hoc instanti concursus causæ primæ, quia illum exigit in hoc instanti, sed quia in instanti præcedenti exigit: sed in instanti præcedenti primam applicationem non exigit concursus: ergo in instanti, in quo primò applicatur non illi debetur concursus. Respondeo negando antecedens, quod multis posset refelli: Sol enim in primo instanti, in quo existit, lucem producit, ab illis tamen abstinere, illa enim quæ gratis dicuntur absque ullis expensis reicienda sunt.

CONTROVERSIA VI.

De resistentia actiua, & formali qualitatis, ubi de successione, & continuatione alterationis.

ACTIVA qualitas non solum se in alienum insinuat subiectum, verum etiam contrariam qualitatem, haud sine illius repugnantia ex proprio expellit subiecto, hanc repugnantiam ex parte qualitatis expulsi iure optimo resistentiam Philosophi appellant, quam in formalem, & actiuam diuidunt, de vtriusque impræsentiarum est sermo instituendus, & quia ex hac successio alterationis, illiusque continuatio, vel discontinuatio dependet sub eodem capite de resistentia qualitatis, continuatione, & successione alterationis disputo.

PUNCTVM PRIMVM.

De resistentia actiua.

Patres Conimbric. 1. de genere cap. 9. q. 3. resistentiam diuidunt in negatiuam, priuatiuam, & contrariam. Resistentia negatiua est incapacitas subiecti ad formam aliquam recipiendam, quam habet substantia spiritualis respectu materialis accidentis. Resistentia priuatiua, quæ ab aliquibus passiuæ dicitur, reperitur in subiecto formæ

Franc. de Ouedo Philosoph. Tom. 1.

capaci, ei tamen nequiquam, aut ægrè cedente: verumtamen absque vlla actione, ut cum saxum illud nitenti frangere, & corpus conanti leuare, à quaque illam intendenti calefacere resistunt. Tandem resistentia contraria est quando actione propria aduersarium impetit qualitas, cuiusque vires debilitat, ut cum ignis resistit aquæ per calefactionem eius frigiditatem corrumpendo, quæ corrupta, veluti emortuo contrario ignis illi resistit, & veluti victoriam reportat.

Pater Suar. tom. 2. Metaphysic. disp. 43. sect. 2. n. 8. docet duobus modis contingere rem aliquam alteri resistere. Primò contingit per immediate ipsam repugnantiam. Hæc est resistentia quam passiuam, seu passiuam Conimbric. appellant. Secundo radicaliter, & quasi per diminutionem virtutis alterius contrarij, videlicet qualitatis. Hanc resistentiam vocant Conimbric. contrariam, & actiuam dicitur, consistit enim in actione, quæ calidum per productionem caloris in passio frigido gradum frigiditatis corrumpit, & vires adimit inimico, ne illis impetatur. De resistentia negatiua mentionem non fecit Suar. quia propriè resistentia non est, sed incapacitas subiecti, de qua, siue resistentia appelletur, siue non, nil peculiare dicendum occurrit.

Ex dictis constat adæquatè diuidi resistentiam in actiuam, & formalem. Resistentia actiua, & iuxta Conimbric. contraria, quam Suar. radicalem appellat consistit, in actione destructiua contrarij. Resistentia formalis, iuxta Conimbric. priuatiua rectè explicatur à Suario n. 10. Ex cuius sententia consistit in eo quod subiectum per qualitatem, vel dispositionem in illo existentem impedit ne alia forma contraria impossibilis cum ea quam habet, introducat. Hanc resistentiam Punct. 2. latè explanabo.

Communis sententia resistentiam actiuam iuxta modum nuper explicatum constituit in actione destructiua contrariæ qualitatis, frigiditatis videlicet, quæ calidum resistit, ne frigidum agens tantam frigiditatem producat, quantum produceret, si duos illos gradus corruptos retineret. Rem ita contingere certum est. De voce tamen potest esse contentio, an videlicet destructio contrarij propriè, & formaliter dicenda sit resistentia. Hæc enim est quasi defensio resistentis, & impeditio effectus intenti à contrario cuius corruptio offensio proprius quàm defensio dicenda videtur, sed quidquid sit de nomine, re admissa, assero aliam resistentiam actiuam reperiri in motu alterationis, quæ proprius resistentia dicitur, ac proinde hanc ego cum Suario resistentiam radicalem, seu remotam voco, illam verò quam modò assignabo, resistentiam formalissimè, & propriè dicendam esse affirmo.

Ut probem dari actiuam resistentiam distinctam à præcedenti assignata, & à resistentia formali, pono duo agentia contraria, quorum neutrum agit in alterum, quia intra spheram actiuitatis non sunt, vel quia Deus negat vtriusque concursus, ut destruat aliud, sed vtrumque agere in passum tertium, in quo casu proba dari resistentiam distinctam à formali, quæ propriissimè actiua dici debet. Resistentiam formalem dicere informationem Philosophorum vna vox est, sed hæc seclusa datur alia resistentia se tenens ex parte agentis distincta à resistentia actiua supra data: ergo Minor tantum indiget probatione, pro qua pono calidum ut octo, & frigidum ut octo applicata passio omnino nudo. In hoc casu, si agentia sunt eiusdem virtutis, quodlibet produceret quatuor gradus qualitatis, & subiectum erit calidum ut quatuor, & frigidum ut quatuor, si alterum horum calidum, verbi gratia, fortius sit, hoc maiorem qualitatem produceret, & subiectum erit calidum ut quinque, & frigidum ut tria, in quo casu vtrumque agens ab altero fuit impeditum, ne maiorem qualitatem in subiecto produceret, calidum enim maiorem intensionem efficere, si frigidum abesset, & frigidum scilicet si calidum non resistisset: ergo fuit resistentia inter hæc agentia, quæ non potuit in informatione qualitatem consistere, quia antecederet ad calorem productum resistebat agens calidum, ne frigidum præoccuparet subiectum frigiditate producta, & prius naturæ quam hæc produceretur, resistebat frigidum, ne calidum agens calorem produceret, quo subiectum impediretur, & frigiditatem recipere non posset, quod necessariò dicendum est, alias nulla potest reddi ratio, propter quam hæc agentia mutuo sibi impediuntur, & æquè intensum vtrumque producat effectum, vel vnum intensiorem, quam aliud, quia si dicas frigidum tantum produxisse tres

Qq 3 gradus